Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2041
Quelle:
Copyright:

DCCCXXXI.

R. 3324 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 119. 8. charactere luculento bene exaratus, minio distinctus, titulisque multis litera quadra coloribus inlusa ornatus Varia continet, quae singulatim differi merentur. *Fol.* 1. p. 2. *Ordo Uel Breuis Explanatio De Caticizandis Rudibus.* Describo ingressum: *Primo ergo in catecizandis rudibus apostolicum oportet intueri sermonem, quem dixit. Omnia uestra honeste et cum ordine fiant. quod summa est diligentia prouidendum, ut ordinate fiat nostræ praedicationis officium et baptismi sacramentum. hunc igitur ordinem dominus ipse disposuit discipulis suis dicens. Ite docete omnes gentes baptizantes eos. in nomine patris. & filii. & spiritus sancti; docentes eos seruare omnia quęcumque mandaui uobis. quod beatus hieronimus in comentario mathęi ita exponit dicens. Primum docent. deinde doctas intinguant aqua. Non potest enim fieri ut corpus baptismi percipiat sacramentum. Nisi ante anima fidei suscipiet ueritatem; Baptizantur in nomine patris. & filii. & spiritus sancti, ut quorum una est diuinitas, sit una largitio. Nomenque trinitatis unus est deus. docentes eos seruare omnia quęcumque mandaui uobis. Ordo praecipuus iussit apostolis, ut primum docerent uniuersas gentes; Deinde fidei intinguerent sacramento, & post fidem ac baptisma quę essent obseruanda praeciperent. Igitur ille ordo in docendo uirum aetate perfectum diligenter ut arbitror obseruandus est, quem beatus augustinus ordinauit in libro cui de catezizandis rudibus titulum praenotauit: primo instruendus est homo de animę inmortalitate & de uita futura & de retributione bonorum malorumque. postea pro quibus peccatis & sceleribus poenas cum diabolo patiatur aeternas, & pro quibus bonis uel benefactis gloria cum christo fruatur sempiterna. Deinde fides sancte trinitatis diligentissime docenda est, & aduentus pro salute humani generis filii dei domini nostri ihesu christi in hunc mundum exponendus, & de mysterio passionis illius, & ueritate resurrectionis, & gloria ascensionis in caelos, & futuro eius aduentu ad iudicandas omnes gentes & de resurrectione corporum. In talibus mens nouella firmanda est & hac fide roboratus homo & praeparatus baptizandus est.* Hinc jam Sensa PP. de Baptismo, ejusque Ritibus, ut fit in Collectionibus Canonicis, depromuntur; sunt vero *Niceta, Clemens, Isidorus Hisp. Albinus* (Alcuinus) *Magister, Hieronymus, Gregorius M. Beda, Augustinus, Athanasius, Leo* et *Origenes.* Atque de ceteris res expedita est, quamquam singula eorum loca cum Editis conferrem, si μονογραφιαν et non Indicem scriberem, unus *Niceta, Nicetas, Niceas* aurem vellit. Primus ejus meminit S. *Paulinus* bis *Nolae* ad celebrandum D. *Felicis* Festum amicissimi sui hospitis tam versibus suis, quam *Epist.* 29. ad *Severum*, qua eum *venerabilem*